Empt. 24 s...

ORATIONES
DVAE GRATVLATORIAE

de felici Cæsaris Caroli Quinti in
Brabantiam aduentu, autore
Petro Nannio Alc-
mariano.

Burmann

Excudebat Seruatius Zassenus Louanij
Anno M. D. XLIII.
Mense Octobri.

Emanuel Masius me sibi comparavit
A.° 1627. ...

corrige praeteritum,
praesens rege,
cave futurum.

9

2

AMPLISSIMO
ET ERVDITISSIMO PRAE
ſuli Londinenſi D. Edmundo Bonero illuſtriſſimi Regis Angliæ apud Cæſaream M. oratori
Petrus Nannius S. P. D.

QVOD tam cupide noſtras bibliothecas, noſtra auditoria, ubi uirtus Cæſaris qualicunq; oratione celebrabatur, inuiſere uoluiſti, ampliſſime præſul, partim tuo in literas ſtudio, de quibus ſemper aut loqueris, aut commentaris, partim tuo in Cæſarem amori imputamus. Scimus enim q̄ pios affectus, tum tu, tum gens Anglicana, tũ Rex ipſe potentiſſimus in Cæſarem gerat. Eam igitur orationem tibi dedicamus. Opus habet illa magno patrono & docto, qui eam & autoritate tueatur, & eruditione intelligat, quid tuendum ſuſcipiat, quas dotes in te præcipue ueneramur, quaſq; tot fœliciter per Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, Daniã obitæ legationes atteſtatiſſimas faciũt Chriſtiano orbi. Nũq̄ habuerã eam in animo edere, nam ut nunq̄ caremus obtrectatoribus, ita hic

pręcipue offensam timui. Habet argumentū laudū Cęsaris, uberē sed salebrosam materiā, & ubi facile impingas, quales oēs triumphi, si enim laudas uictorē, q̄tumcūq; id facias cōtractis & parcentibus unguibus, tamen uideris uictū lędere. Nos id tēperamentum secuti sumus, ut nec ueritati deessem⁹, odiosa tñ insectatione careremus⁹, adeo ut appareat nos libēter laudare, inuite aliqd' hulcus attingere, ut illic uoluntas grām, hic necessitas uideatur ueniā mereri. Vidim⁹ aliorū scripta de Gelrēsi clade, bone Deus q̄ maledica, quorū petulantiā ut tūc execrabar, ita nūc spero, quod sua ad nostrā rōem mitigabūt, & faciēt si sapiēt. Stultū enim in subditis esse odium, ubi principes ipsi inter se gratia & amicitia coierūt. Sed tñ q̄tacūq; cautione usus fuerā, statutū habebā ista intra scrinia cōtinere, sed ingēs ad editionē instigantiū turba primū fecit ut dubitarē, deinde cū audissem tuis eruditissimis aurib⁹ magnopere placere hāc nostrā orationē, sine hęsitatione eā pręlo subieci, securus quid hic uel ille garriret. Satis enim iudiciū summi uiri mihi esse debet, qui in literis plurimū potest. Accipies igitur ea fronte qua aliorū studiosorū scripta soles, quos ornare & amare imprimis cōsueuisti. Bene Vale, Louanii pridie Nonas Octobres.

ORATIO PRIOR PETRI NANNII ALCmariani De aduentu Cæsaris.

ANTE triennium Augustissime Cæsar, celerrime Gallias percurristi, ut patriæ discordia unius ciuitatis laboranti succurreres, & quo remedium citius apponeres, maluisti per dubios amicos, tantummodo induciis a bello suspensos penetrare, q̃ lõgiore itinere per tuta incedere. Fuit id ingẽs argumentũ tuę erga Belgas tuos charitatis, per tanta pericula ad remedium tuæ gentis properare. Erat tum pace Italia tuta, erat Hispania, uidebantur ambæ prouinciæ posse aliquandiu Cæsaris absentiam pati. Nunc cum Hispania Africanorum & Gallorum classibus circũnauigetur, Turca ingentibus copiis ex Illirico in Italiam immineat, ad nos relictis omnibus, nõ per amicas aut pacatas gẽtes incedere, sed ferro uiã per hostiles terras aperire, quo põdere uerborũ pondus tantæ pietatis explicari potest? Verebamur, ne te Hispania non dimitteret, Italia suis curis alligaret, Germania suis negociis impediret,

diret, Hungaria fraternis periculis auocaret. Sed tu(quæ uis est tui amoris) raptim omnibus impedimentis,remoris,difficultatibus, uel disso lutis uel abruptis,ad Belgas tuos decurristi. Ve= rebamur, ne ante aduentum tuum periremus, cum Gallus magnis & diuersis exercitibus, cæ= dibus,incẽdiis omnia misceret,Cliuensis subitis & dissimulatis copiis, non limites quateret, sed Brabantiam,Luxẽburgiam, perrumperet, cum Holsatus terra mariq; instaret,uix spes erat,tot coniuratorum principum manus euadere,præ= sertim cum non minus armis, q̃ dolo & insidiis grassarent̃,cũsocii nostri proditionibus,reliqui desperatione tentarentur. Verebamur etiamsi mature uenisses, ne aditum ad nos inuenire nõ posses, cum itinera uel hostium copiis, uel arci= bus occupata essent. Verebamur etiamsi pene= trasses, ne una ciuitas longa obsidione te impli= caret. Iam cum tot essent tum in Gelria,tum in Cliuia ualidissimæ urbes, metus erat, ne Troia= num bellum longitudine temporis tua ista expe ditio superaret.Sed pro uoto,imo supra uotum omnia successere. Nõ enim nostra pernicies tuũ aduentum antecessit, sed pressi quidẽ & prope= modum

modum obruti,incolumes tamen a te reperti ſu
mus, & ſi fas ſimilitudinem ex literis ſacris mu-
tuari,ſub cultro tanquam Iſaac,non tamen deci
ſo collo,inuenti ſumus.Nec munitiones ualidiſ-
ſimæ in itinere obiectæ , nec uiæ magnis copiis
inſeſſæ,nec Leodii tentata proditio,tuum acceſ-
ſum intercludere potuere. Prius te uiderũt ho
ſtes,q̄ ſaluum crediderunt. Illi te mortuum fin-
xere,quia tua ſalus ipſis periculoſa fuit, nos ex-
tinctum metuebamus , quia niſi te ſaluo , ſalui
eſſe nequibamus. Votum hoſtile,& noſtra for-
mido eandem tuæ mortis ſuſpitionem cõcepit.
Sed uiderunt te hoſtes non quaſi Aquilam lon-
go itinere fatigatam,aut pennis attritam,aut ro
ſtro obtuſam,ſed integrum,uegetum,alacrem,
animo corporeq; recentem. Nihil tibi laxamẽti
a curis,nihil ocii a laboribus, nihil ceſſationis a
periculis indulſiſti,Eadem dies quæ te in hoſtilẽ
agrum immiſit,in obſidione,in acie, inter mille
pericula,inter fulmina bombardarum uidit, o-
mnia accelerantem ad oppugnationem. Vix bi-
duum interceſſerat,cum milites tui , præſertim
Hiſpani & Itali , tuæ induſtriæ æmulatores, ne
eatenus quidem moram paſſi, dum pars aliqua

murorum

murorum disturbaretur, deiiciunt se in altissimas fossas, ibidemq; infra hostium tela ex alto impetentium, infra nostrarum bombardarum ictus expectant, dum uel una rimula in hostili uallo patesceret, quæ ubi patuit, non maiori spacio q̃ duorum aut trium corporum capaci, assiliunt, transiliunt, desiliunt in hostem, nec altitudo præceps, nec Cliuensium uis, firmis stationibus in imo irrumpentes expectans deterrere potuit, quo minus ex alto ad conserendas manus quasi deuolarent. amicis aquilæ, hostibus harpyę uisæ sunt, contempserant mortem, & ut in contemptu mortis perseuerarent, aderat inter reliquos duces adhortator fortitudinis Comes de Feria. Is militem uulneribus confectum, fuso cruore exanguem, lassitudine absumptum, autoritate & exemplo cõfirmauit, assidue inclamãs, & ab Italia ipsos & Hispania p̃ innumeras prouincias huc adductos, ut patriæ suæ robur ostenderẽt, has esse primitias belli, ut hic se gesserint, ita in reliquum tempus de ipsis famam fore, nõ esse in limine offendendum. Hispano si uincere non posset, pulchrũ esse in uallo hostili sub oculis Cæsaris mori, nũc id agi ut inter omnes gentes ha-

tes habeantur uel fortissimi, uel ignauissimi, ultro eos anteuertisse tēpus oppugnationis, & integro adhuc hostili uallo capiendæ urbis spem inuasisse, Si uincerent, id esse nimię fortitudinis, si cesserint, ignauiæ simul & stultitiæ, ut qui pericula sua & ante non senserint, & in periculis timidius agant. His & huiusmodi cohortationibus factū, ut miles qui sine remissione, sine succenturiatione quatuor horas continuo pugnauerat, per omnia obstantia, difficilia, periculosa irruperit, ac statim ualidissima urbs summis pręsidiis bellicosissimorum hominum firmata, capitur, diripitur, cōbusta est, nescio quo fato, certe inuito Cæsare. Quo tēpore maxime apparuit pietas Cæsaris, & procerum Hispaniæ. Cū enim & fatale incendium, & uis militaris omnia ferro & igni misceret, discursum est a Cęsare, discursum est a proceribus, a Comite de Feria, ut qua ui, quo imperio possent, grassantem militem cohiberēt. Simul negotiū datum fossoribus, ut incendiū restinguerēt, simul satellitib9 cura iniuncta, ut templū custodirent, ne uis ulla aut sacris rebus, aut fœminis & pueris, qui eo profugerāt, inferretur, Iam cū incendiū omnia corriperet, ac

templo immineret, imbecillis ille sexus, & infirma ætas in equis posita, ad castra Cęsaris auehitur, ipsi proceres omni equitatu se spoliãt, ut miseris illis summa celeritate, qua opus fuit, succurretur. Vndiq; iam circumuagantibus flammis, miserę illę, quę spē oēm in locis sacris fixerãt, nec ullum locum ueniæ in efferato & uictore hoste, & suis, & alienis uulneribus madente reposuerant, putabant se non ad tuta, sed ad cędē asportari. Orabant igitur quãdoquidē iugulum dandum esset, maturarent mortem, sinerent se saltem insepultas in templis iacere, si in tēplis uiuere non liceret. pueri quoq; suspendiũ deprecantes, quod ipsi sibi imminere persuaserãt, precabantur ne seorsum a matribus occiderentur, saltem extremum spiritum, nõ sub patibulo excluderēt, sed in sinũ parentum redderent. Mira ibi cõploratio Cęsaris, & omnium procerũ. alibi sanguine, hic omnia mutuis lachrymis madebãt. Cæsar consolari. erigere, polliceri, & ipsis, & liberis, & maritis salutem, libertatem, ueteresq; possessiones, & quicquid non absumpsisset bellũ, id ipsis incolume & propriũ futurũ. Reliqui principes idē nomine Cæsaris promittere, & ubi

Hispanica aut Italica lingua min⁹ intelligebāt, nutu & signis similia indicare, adeoq; rauci facti sunt clamoribus, dum nūc militem cohibēt, nunc afflictos consolantur, ut plane illis uox defecerit. Cęsaris certe lachrymę, gemitus, suspiria tā insignia fuere, ut putares eū potius uictum, q̃ uictorem fuisse. Tales fuere fletus Dauidis, quibus uictoriā de Absolone filio prosecutus est, talis quoq; uultus Marcelli in expugnatis Syracusis, talis dolor Titi Vespasiani in incenso Hierosolymitano templo. Non fefellit quenquā promissio data, corpora mulierū puerorūq; ad imperium Cæsaris appositis custodib⁹ per noctē castissime & tutissime seruata sunt, nec solum uis in hanc miseram turbam, sed minæ quoq; & interdictæ capitali pœna, & uindicatæ fuere.
Eadem quoq; fortuna ante paucos dies in ciuitate Monioia uersata est, quam Princeps ab Arangia una cū arce primo impetu cepit, quo in loco laus fortitudinis Germanicę mirifice enituit. Ipse miles suam operam, ipsi duces Cęsaris fortunam, Cæsaris auspicium admirati sunt. Iā cū omnibus & hostibus, & nostris persuasissimū erat, omnia diuinit⁹ agi, & Cęsaris bella cœlesti

numine

numine dispēsari, tota Iulia ultro in deditionē uenit. Ipsa Gelria, cū qua ultra septuagesimum annū bellatū est, quę uiris armisq;, & locorū mu nitionibus antea inuicta est habita, quæ potius hactenus principibus suis imperauit, q̄ imperiū passa est, ultro properat, ut in uerba Cæsaris & leges iuraret. Ipse dux Cliuensis nō minus ani= mo, q̄ uiribus ingēs, cui ętas iuuenilis, tot prouin cię ferocissimos spiritus dabant, quē tot equitū exercitatissimę copię muniebāt, quē Gallus opi= bus, matrimonio, societate belli erigebat, quem Holsatus, Danus, cōmilitio instruebant, quem multorū principū clādestinus fauor sustinebat, dānata Gallica affinitate, nō expectato Danorū auxilio, nō amicorum aliorū uel apertis, uel clā= culariis opibus, supplex ad dexterā Cęsaris cōfu git. Videbat per singulas hebdomadas singulis se prouinciis nudari, precibus putauit tantū im petum uictorię retardandū, ne si Cęsar eadē cele ritate protēderet, post quintam uel sextā hebdo= mada, ex potentissimo principe exul fieret. Nō enim ea fuit uelocitas uictoriæ, quæ hūc titulū mereretur, ueni, uidi, uici. sed hunc titulū, anteq̄ uenerā, uiderā, uici. Nā anteq̄ uenit, pleraq; ter= rore

rore subegit, fama uenturi Cæsaris claues extorsit, portas aperuit, e manibus tela excussit, easdemq; supplices dedit. Quod si istiusmodi celeritas hieroglyphis depingēda esset, uictoriã & famã laureatã pingerē a fulmine celerrimo cursu p aerē rapi. Sed qd quęso Cliuēsi fiduciã dedit, ut precibus suis aliquid uenię speraret. Leuiter ne ab illo peccatũ fuit? certe per iniuriã arrepta Gelria, populationibus peragrata Brabãtia, uastata Luxēburgia, ager Namurcensiũ, ager Valcenburgensiũ totus exustus, leuē eius culpã uideri non sinũt. Quid, an segnē credidit Cæsaris animũ? quasi suorũ calamitatibus parũ moueretur, ac proinde facile admitteret recõciliationē? Atqui omnibus notũ est, q̃ tenere Cæsar suos amet, q̃ grauiter indolescat suorũ incõmodis. An existimauit Cæsarē fatigatũ lõgitudine belli, pacis conditiones cupidissime arrepturũ? At istud bellũ nondũ mēsem durauerat. An quia primordia belli dura, & parũ conatus responderēt, facile a bello ad pacē retrahi Cæsarē arbitratus est? Nihil minus dici potest. Habēt quidē Cęsaris uictorię ubiq; summã celeritatē, intra mensem Tunetis regi regnũ restitutũ est, intra

mensem

men ſem Tremenſis ditio recuperata eſt, nullũ tamẽ bellũ celeriore impetu ad exitũ feſtinauit, plura oppida ualidiſſima, plures arces munitiſſimę captę ſunt, q̃ dies abſumpti. An putauit in reliquis ſubigendis difficiliorẽ laborẽ futurum? qui id ſperari potuit? cũ alii iã deditionẽ facerẽt, alii pararent, alii deſperationẽ procul oſtẽderẽt. An opinatus eſt Cæſarem irã ſuã tot ſucceſſibus impleuiſſe, & faſtidio maioris prędę conditiones pacis non recuſaturũ? atqui naturale eſt in iſtis rebus, ut aiunt Gręci, πλεονεκτεῖν, & ſemper ad ulteriora tẽdere, & prima nõ pro fine, ſed pro gradu & acceſſu ad ſequẽtia habere. An merita parentũ ſuo odio obſtare credebat, & Cæſarẽ, non reſpecturũ qd ipſe, ſed quid parẽtes feciſſent? eſt id aliquid, ſed hic pondera & meritorum & iniuriarum in examinationẽ uenire ſolẽt. Si plus eſt in beneficiis, q̃ offenſis, facilis eſt gratia: in pari pondere, & in ęquilibrio nõnulla: ubi autẽ beneficia a peccatis immenſo interuallo pręponderantur, nulla uenia ſperari ſolet. Alitus eſt Dauid cũ omnibus ſuis difficillimo ſui exilii tẽpore apud rege Amon, huius filius legatos Dauidis indigne tractauit, in qua tamẽ culpa, plus

erat contumelię quã cladis, ad ignominiã enim eorũ barbę erant semirasę. Quid Dauid? totam gentē non solũ uastauit, sed serra dissecuit, & ferratis carpentis obtriuit. Ipse Ioab, qui Dauidi tot uictorias peperit, a Salomone in quem semel peccauerat, ab altaribus ad supplicium raptus est. Atqui factum istud nō uulgarium hominũ, sed eorũ, quorũ alter sanctissimus, alter sapientissimus. An existimauit suę iuuentuti, & imperitię ętatis ignoscendũ? Sed hic obstat tãta literarũ peritia, quantam uix in alio principe cognoscimus, imperita est ętas, ubi nihil nisi ab annis discitur, uerum ubi cognitio omniũ historiarũ, monumentorũ iuuenilem animũ imbuit, nō uideo quomodo hic imperitia allegari possit. Quę igitur tandē causa fuit, aut unde fiducia desumpta? ut putarit se tutiorē esse precibus, q̄ armis, in tētorio hostili, q̄ in suis arcibus, inter Cęsaris satellites, quã inter suas cohortes? Cęsaris humanitas, clemētia, misericordia, quę in omnibꝰ delictis spē uenię uidetur polliceri, ea eũ in castra hostilia pellexit. Sciebat se nō ad Achillē uenire, a quo ne cadauer quidem, nisi multo auro redimi potuit, non ad Tyberium, q pellectos ad

se ma-

ſe magnis pollicitationibus reges, & regnis ſpoliauit, & in carcere detinuit, non ad Mahumetũ aliquẽ, qui affines, qui ſoceros oculis ſimul & ditionibus priuaret. Sed ad Carolũ V. Romanorũ Imperatorẽ, qui nõ ex amicis hoſtes, ſed ex hoſtibus amicos facere cõſueuerat. Sciebat Cataſtrophen uictoriarum Cęſaris, in nuptias ſolere terminari. Captus Gallus cũ omni nobilitate, ad ſororis Cęſareę cõnubia dimiſſus eſt. Dux Mediolanenſis crimine leſę maieſtatis reus, nõ ſupplicio ſubiectus eſt, ſed filiã ſororis Cæſareę in uxorẽ accepit. Sciebat Cæſaris uirtutes nõ admixtu uitiorũ contaminatas eſſe, ſed puras ab omni inquinamẽto culparũ, non fortẽ eſſe cum crudelitate, nõ iuſtũ cũ tenacitate, nõ miſericordẽ cũ inconſtantia, nõ manſuetũ cum ignauia, quales maximos uiros fuiſſe legimꝰ. Quid enim fortius Alexandro Magno? quid eodẽ immaniꝰ? qui plures amicos inter pocula trucidauit, q̃ in bello amiſit. Quid humaniꝰ Iulio Cæſare? quid eodẽ rapacius? Quid iuſtius Catone? quid eodẽ famoſius de auaritia? qui crimẽ lenocinii ſuſtinuit, quaſi ob pecuniã uxorẽ Hortẽſio ceſſiſſet. Quid facilius Claudio? quid eodem ignauius?

Quid

Quid Pompeio gratiæ & amicitiæ ſtudioſius? quid eodem in tuendis amicitiis inconſtantius? qui & cum ſocero bellauit, & Ciceronem amicum ſummum paſſus eſt in exilium agi. Sciebat Cæſarem & ſuo ingenio & indole maiorum eſſe clementiſſimũ, & in mores ſuorũ non minꝰ natura q̃ exemplo abire. Carolus dux Burgundiæ Cæſaris proauus, qui regem Galliarum eo neceſſitatis redegerat, ut ſe offerret ad quaſlibet conditiones pacis, non arbitrio ſtatuendarum legum in libidinem, ſed in gratiam uerſus, ſupplicem ſuum humaniſſime tractauit. Maximilianus auus Palatinum comitem debellatum, imperio & amicitiæ, unde exciderat, reſtituit. Philippus pater, Gelriæ ducem deturbatum ferme e ſuis ditionibus, in priſtinam amicitiæ gratiam recepit. Sciebat dexteram Cæſaris in bello aduerſus hoſtes fortitudini, in precibus erga ſupplices miſericordiæ dedicatam eſſe, eamq; ſolere reges in ſolium reponere, non excutere: duoſq; iam reges Africanos, ante exules, eius beneficio in auitis prouinciis regnare, & bellum Gallicanum & antea inde magna ex parte exarſiſſe, & nunc eo potiſſimum reſpicere, ut dux Sa

 baudien

baudiensis suo imperio restituatur. Sapienter igitur Cliuensis princeps hactenus prauorũ cõsilio, nunc sua mente & ingenio usus, fidei se & arbitrio Cæsaris permisit, nec falsa spe nisus est. sua enim omnia in totum recepit, pacemq; simul & societatẽ impetrauit, omnibusq; administris, consiliariis istius belli uenia data, nemo a pace exclusus, a gratia semotus, omnes quasi intra sinum suum humanitas Cæsaris recepit. Laudamus illius consilium, ut sagacissimum, adoram⁹ tuam Cæsar incredibilem humanitatẽ. Ille quid futurum esset pręuidit, nos quod factũ est, admiramur. Videmus coniunctas dexteras, quæ in mutuã paulo ante perniciẽ sęuiebant, & ibi Charites amicitiã, beneuolentiã, officia uersari, ubi Mars antea omnia incendiis, uastationib⁹ permiscebat. Hoc uere est Christiano more bellare, arma suscipere, ut iniurias cohibeas, cohibitis iniuriis, ab armis ad pacẽ resilire, eamq; pacẽ constituere, non quã uicti necessitate ferant, sed quam integri etiam adamarent. Qui de suo non amittit, qui pręter prędam iniuria partam, nihil perdidit, nullas habet in posterum causas odii, nullã materiem rebellandi. Dictum est nõ min⁹

uere

uere, q̃ libere, a legato Priuernatum, qui interrogatus, an si pax coiret, eam diuturnã crederet? Si, inquit, ęquam dederitis, diuturnã, si iniquã, non longam. Vnum est Cæsar in te uitium, non tuum, sed naturæ, quod te mortalem fecit, cuius æternitas nobis ferme tam necessaria uidetur, q̃ orbis istius machina, qui nisi esses, periissemus, nisi diu superfuturus sis, nec nos diu superfuturi uidemur. Late regnas, sed sparsim, magnæ tuarũ prouinciarũ uires, sed disiunctæ, has magnis interuallis separatas, tua uelocitas & industria quasi continuas facit, nec te uiuo quicq̃ timem⁹, nec te uiuo quicq̃ hostes sperãt. Sed, ut dixi, hoc in te uitium est, mortalis es, æterna subsidia a te sperari non licet. Cæterum huic malo remedia quantum fas est, apponis. In præsentia domas hostes, quos habemus, in futurum consulis, ne aliqui hostes esse uelint, certe ut iure esse non queãt. Epaminundas q̃ diu armis floreret, nullã mẽtionem de pace Laconica faciebat, ubi se moribundum uidebat, pacẽ suasit. Tu integer ita bellũ finis, ut nec pręclarior uictoria, nec ęquior pax uideri possit, & quia ęquissima est, longissima eadẽ sperari debet, Habent singuli, quod in

te admirentur, alii fortitudinem fuga Solymanni, captiuitate regis Galliarum, Africanis, Gelricanis uictoriis insignem: alii pietatem, qua maxime ruinosam, imo ferme collapsam religionẽ sustines. alii prudentiam, qua tam multas lõge lateq; dissitas prouincias, rectissime gubernas. alii in regia uita sobrietatem, continentiã, temperantiam. Nos ut omnia admiramur, ita in pręsentia magis libet oculos intendere in istam tuam inauditã clementiã, quã nemo in te desperat, qua nemo frustratur. Fortitudo in belluis, fœlicitas in tyrannis: ciborũ, uestitus, Veneris tẽperantia, etiã in cacodęmonib9 reperitur. Prudentia quoq; sępe locũ in peruersissimis ingeniis habet. Clementia unica est illa uirtus, quę maxime similitudinẽ Dei exprimit, & nũq nisi in bonis reperitur. Fortitudo sępe putat se ignauiter facere, si ultionẽ omittat. prudentia incaute, nisi hostẽ extinguat: continentia, frugalitas, tutam se non arbitratur, nisi hostis de medio sit sublatus. Omnes istæ uirtutes hactenus uidentur habere carnificis animum. sola clementia medicas adhibet manus, sanat morbos, non morbosos interficit, hostilia compescit, hostes non enecat.

Hæc

Hæc tuis uictoriis inuidiã ſubtrahit, hæc optabiles & gratioſos tuos triumphos facit, hæc hoſtibus pertinaciam bellandi aufert. Vbi enim ſpes ueniæ, ibi minori contentione arma omittuntur. Maxime homines armat ultima neceſſitas, & ſæpe illa cogitatio, una ſalus uictis nullã ſperare ſalutem, aut pugnam, aut uictoriam inſtaurat. Vetuere Lacedæmonii, cum fugientibꝰ pugnare, quamobrem hoſtes, intellecto quantum ſecuritatis in fuga eſſet, minimo negotio auertebantur. Sed quod illi calliditate, id tu Cæſar bonitate facis, in illis ut ars: in te ut uirtus laudari debet. Cum igitur nihil in te deſiderari poteſt, q̃ quod immortalis non es, ſupereſt ut omnes Deum oremus, ut præſidem propugnatoremq; Chriſtiani orbis, diutiſſime incolumem ſeruet.

GRATVLATIO SCHOLASTICORVM

de aduentu Cæsaris eodem autore.

SINGVLIS in aduentu tuo Augustiss. Cæsar, iustissima est gratulandi materia, sed alia aliis. Plebei enim uitæ suæ propugnatorem: nobiles suæ dignitatis assertorem: sacerdotes religionis templorumq; uindicem, lętissimis oculis intuentur. nobis scholasticis præter istas rationes, alia quoq; est gratulandi occasio. Non enim solum gaudemus fortunas nostras, resq; omnes per te in tuto collocatas esse, sed id quoq; nos ingenti hilaritate perfundit, quod te tot gentium, principum, bellorum uictorem intra mœnia Louaniensia uideamus, pro quibus anno superiore defendendis, uitam salutemq; in gratiam tuam Cæsar deuoueramꝰ. Debuere ea mœnia sine parsimonia sanguinis defendi, in qua Cæsar post domitas ualidissimas prouincias, tertiam a nuperrima uictoria mansionem

sionem

ſionem faceret,& quandam quaſi ſpeciē trium-
phi inferret. Nam tametſi trophęa hoſtium, ſi-
mulachra urbium,arciūq; deuictarum circum-
ferri non uideamus, animo tamen præſentes fin
gimus, & quaſi ante oculos noſtros obambula-
re credimus, Iuliam perdomitam, Gelriam il-
lam ferocem, alienis cladibus uictam, non tam
iugum in collo, q̄ in animis geſtare,reliquas
prouincias perculſas,ſupplices manus ad pacem
porrigere. Cum igitur te mœnia noſtra inuiſe-
re conſpiciamus, fructum noſtri periculi, nos
percepiſſe arbitramur. Aliis enim, qui hanc
urbem defenderunt, ſtatim poſt abſceſſum ho-
ſtium, ſuum pręmium fuit. Habuere enim ci-
ues ex propugnatione urbis,ſuas domos a ui ho
ſtili immunes, magiſtratus rempublicam ſal-
uam, ſacerdotes ſua ſacerdotia indeminuta.No
bis in aliena urbe, nihil noſtrum fuit, quod de-
fenderemus, aut quod defenſum, noſtrum futu
rum eſſet. Solum Cæſaris amor, nos ad milita-
ria opera& pericula protraxit.Cucurrerunt alii
ad mœnia, ut pudicitiam uxorum, uitamq; li-
berorum protegerent, alii ut magiſtratus offi-
cio ſatiſfacerent, alii ut pro ſtipendiis operam

nauarent. Nos non indigenæ, non ciues, ſed temporarii inquilini: non magiſtratus, ſed priuati: non milites, ſed ſcholaſtici: non promiſſis allecti, non ſpe inducti, non pręmiis obligati, non ſacramento obſtricti, ultro gratiſq; urbem & ante obſidionem, & in obſidione deſperatã, deploratã, damnatã hoſtibus, auſi ſumus defendere. Quid igitur hoĩbus ocio & umbrę aſſuetis graphium excuſſit, haſtam dedit, libros abſtulit, bombardas porrexit? Cæſaris amor. Quid nos aliis pauentibus, aliis fugientibus in ſtatione retinuit? Cæſaris amor. Quid nos diſſonos linguis, diſcordes nationibus ad communem defendendæ urbis operam coniunxit? Cæſaris amor. Quid nos mœſtos & luctuoſos ob inſignem ducẽ noſtrũ Damianum, perfidia hoſtiũ, tempore induciarum, in mediis colloquiis ablatum, quem unice amabamus & reuerebamur, in eodem mẽtis uigore retinuit? Cæſaris amor. Quid nos reliquis deinde ducibus Seuerino & Chriſtophoro obſequẽtiſſimos, promptiſſimoſq; fecit? Cæſaris amor. Illi multum prouidere, nos multa exequi. Illi multum imperare, nos multum obtemperare. Illi fortitudinis exemplo

præire, & gratia & diligentia Damianum re≠
ferre, nos ſtrenue ſubſequi, nec illi a nobis, nec
nos ab ipſis plus optare, aut expectare debui≠
mus. Tui gratia Cæſar noſtra officia intendit.
Nam ut nunc tua maieſtas in oculis eſt, ita tunc
in animis fuit. Quiſq; putabat, inſpectante Cæ≠
ſare, ea ſe facere, quæ faciebat, ac proinde ea cō≠
tentio officiorum fuit, ut uix maior eſſe poſſit.
Abominamur reditum eorūdem periculorum,
nec te uiuo ea metuimus, ſed ſi redeant eadem
tempora, talis eſt noſter animus, & tam tibi de≠
uotus, ut maiori animo eoſdem caſus ſimus to≠
leraturi. Aliis temporibus ſcholaſtici erimus,
ſtudia, literaſq;, & libros tractabimus. In deſpe≠
rata urbis obſidione iugulum, ſanguinem, uitā,
ſalutem offeremus, ut ab omnibus intelligatur
nos Palladem, ubi res tranquillæ fuerint, lite≠
rarum ſtudiis, ubi deploratæ, armis colere.
Nunc quoq; te, Cęſar, de Gelria ad Galliam, nō
tam de bello ad bellum, q̄ de triumpho ad triū≠
phum tranſeuntem libenter commilitio proſe≠
queremur, ſi aut profeſſio noſtra, qua literis de≠
dicati ſumus, id pateretur, aut tua fortuna id re≠
quireret. Nunc cum habeas militem exercita≠

tiſſimum, & ex omnibus prælijs uictorem, ſtul-
tum eſſet nos noſtras manus ad tua bella offer-
re, ſedulas illas quidem & deuotas, ſed armorū
& prçliorum imperitas. Quod ſupereſt igitur,
& quod honeſtum eſt, tuam expeditionem bo-
nis omnibus, precibus, uotiſq; proſeque-
mur, ut quem nunc ſemper uictorem
emittimus, noua uictoria
auctum recipia-
mus.